

16458
NONNULLA DE ELEPHAN-
TIASI NODOSA UNIVERSA-
LI, IN LIVONIA ET ESTHO-
NIA OBVIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

APPROBANTE AMPLISSIMO MEDICORUM ORDINE

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR,

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
Tartu Riikliku Ülikooli
Eduardus GILLJELMUS BREHM,
Riigimatuks
RIGENSIS.

DORPATI LIVONORUM,
TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI,

MDCCCXXVIII.

1626

I m p r i m a t u r,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit haec
Dissertatio, septem exemplaria collegio, cui librorum cen-
sura est mandata, tradantur.

Dorpati Livonorum d. xxx. Mens. Mart. MDCCCXXXVIII.

Dr. S a h m e n,
Decanus.

2
Tartu Riikliku Ülikooli
Raamatukogu

437455

Prolegomenon.

Lector benevolus, cujus indulgentiam imploro, se-
quentibus paginis malum perquam notabile, quod, in
Europa propemodum extinctum et oblitum, sub au-
spiciis praeceptoris mei honoratissimi, Professoris Dr.
Struvii, pluribus tamen in casibus observandi occasio
mihi oblata est, breviter tractatum reperiet. Hinc
praeter plures morbi descriptiones, pro virium mo-
dulo fido calamo exhibitas, praecipua Elephantiascos
tuberculosis universalis phaenomena, ad ordinem

quendam redacta, in medium proferre moliebar; quo in molimine autem, angustiorum dissertationis meae limitum probe memor, inprimis ea respicere constitui, quae ipse vidissem vel per aegrotorum examina comperta mihi fuissent. Auctorum nonnullorum, tam antiquiorum quam recentiorum, diversas terrae regiones incolentium, hoc de morbo relationes haud negligendo ostendisse credo, eundem, nostra in regione observatum, revera pro elephantiasi tuberculosa esse habendum. Sufficientem argumenti nostri expositionem, quam Lector humanissimus a tirone, studiorum academicorum cursum modo absolventi, vix expectabit, viris doctrina et experientia magis exultis relinquere, praesertim cum augurari liceat, occasionem ad accuratiores hac de affectione observationes instituendas in Livoniae et Esthoniae nostrae finibus minime quidem in posterum defuturam.

.....

Circa elephantiasin tuberculosam universalem observata.

I.

Juerry (Georgius) e praedio, Campen denominato, in dioecesi St. Joannis sito, 30 miliaria rossica (Werst). Euronotum versus ab urbe Revaliae distante et ad tractum Harrensem pertinenti oriundus, in praesentia 14 annos est natus, statura parvus, corporis constitutione phlegmatica, sed a parentibus sanis in regione quadam genitus, quae, uti in vulgus notum, in plurium milliarium circuitu nihil quam terram herbis fere nudatam, palustrem et uliginosam, scaturiginibus abundantem, ostendit, insuper quoque quodam fluvio, certis temporibus alveum longe excedenti, nimium irrigatam. Hicce fluvius, quamvis alveus ejus sit limosus, rusticis omnibus ibi vitam degentibus, aquam potui destinatam advehit, ii vero, qui

tuguria paulo remotiora habitant, pro communi potu cerevisia quadam utuntur multum aqua temperata eademque acidula. Quotidianus aegroti nostri victus ad polentam, pisa, fabas, tubera solanorum, brassicam, praecipue autem ad panem nigrum reduci potest, in quo praeparando rustici grana secalis excussa communiter ab acerbis purgare negligunt, sed ambo simul molunt et coquunt. Diebus dominicis et festis puer carne fruebatur et fere semper quidem suilla eaque valde adiposa. Calidiori aestatis tempore lac coagulatum quotidiano ei inserviebat alimento. Si puero fidem non denegaveris, in pagis ad praedium Campensem pertinentibus plures inveniuntur homines eodem morbo affecti et tempore aliquo ab hinc elapso ipse adeo ejus frater anno aetatis 21 elephantiasi tuberculosa confectus est. Ad 9 usque aetatis annum Georgius sanus semper fuerat, nunc vero, sine praegressa quadam dysphoria, in suris maculae fuscae, sordido-brunee, numero augescentes, ex parte concurrentes et in majores pannos commutatae apparebant, quae gradatim utrosque pedes, crura et maximam femorum partem, tum autem antibrachia et brachia superiora occupabant, denique in facie diffundebantur. Jam his in cutis decolorationibus tubercula ac noduli formari coeperunt, quae eadem ac maculae serie in singulis membris prodibant, a levibus tantummodo affectionibus colli catarrhalibus comitata, quae ab ini-

tio mox evanescebant, mox rursus apparebant, tandem vero sensim sensimque in ore, in pharynge et narium cavo constanter residebant. Phaenomena morbosa his in partibus hac re provocata nullas molestias excitabant conspicuas, manducando tantum ac glutiendo leves sentiebantur dolores. Quinque anni praeterierant antequam malum ad praesentem gradum ascenderet, durante tamen toto hoc tempore aegrotus tam bene se habuerat, ut negotiis suis semper rite fungi potuerit.

Status aegroti in praesenti sequenti modo describendus. Valetudo universalis non insigniter est turbata, ciborum appetentia est normalis, urina proba, alvi dejectiones vero occurrunt rariores ac durae, aegrotus libenter et saepius dormit, dormientis respiratio simul semper est intensior, vigilantem plerumque morosum, interdum tamen et laetum videas. Examine externo instituto, planta pedis dextri paulum tumida, crusta quadam tenui, sub-flavo-candida, calci simili, quae ex degenerata et callosa plantarum pedis cute orta, tactu dura et aspera est, obducta reperiatur. Versus externum et internum pedis plantae marginem haec crusta fit laxior, lamellis crassioribus, furfuraceis, valde candidis frustatim delabitur et pedetentim in epidermidem dorsi pedis transiens, desquamatio mutatur et cutis hic in majores, prorsus pellucidas lamellas resolvitur. In crusta subcandida

pedis planta obducente, ad latus scissura 2 pollices longitudine aequans, angulata et 2 circiter lineas profunda observatur ex qua per vices pus scaturit. Latus plantale digitorum pedis eundem, modo memoratam, crustam subcandidam exhibet, quae in praesenti sanguinis quodam profluvio, e fricatione probabiliter orto, inquinata est. Quodsi aegrotus tibialia exiit, simul haud mediocrem substantiae subtilis, furfuri similis, copiam avellit, quae per plures circa eum passus in aëre circumvolat. Ungues digitorum pedis sunt arefacti, sub-candidi, diffissi et per squamas furfuri similes semper magis in altum attolluntur. Latus dorsale digitorum pedis sub-coeruleo-cuprei est coloris, tumidum et in hallice solummodo cutis naturalis, angusta quadam stria visibilis, invenitur. In dorso pedis tubercula irregularia, haud arcte circumscripta ac dura in panno quodam longe extenso sunt animadvertenda, quae cuti inhaerentia, cum ea simul attolli patiuntur; cum premuntur colorem suum sordido-cupreum amittunt et, ut reliqua cutis, laetio-rem recipiunt. In malleolo externo et supra calcem magis est fusca multisque tuberculis obsita, utrumque in tota etiam sura usque ad locum ejus editissimum percipitur, attamen hic singuli noduli crusta crassa, coloris cinerei oblecta, inveniuntur. Inde ab articulo pedis, cujus cutis in parte antica colore naturali gaudet, itidem in fundo sordido-bruneo magna tubercu-

lorum majorum ac minorum eorumque durorum copia propemodum ad patellam usque diffunditur, cujus cutis simili ratione degenerata primum in regionibus genu lateralis expanditur, tum vero cum nodulis parvis, in latere anteriore femoris obviis, quasi coalescit. Totus poples et superior surae pars cute naturaliter colorata sunt oblecta, in postica femoris parte tamen rursus commutatur et in ea locus quidam fit conspicuus, 4 pollicum longitudinem referens, et tubercibus tantum coacervatis, magnis, ovalibus constans et ad sedem usque ascendens, in qua integumenta externa sordido-brunea tantum ac rugosa, non vero perspicue nodosa apparent.

Sinistrum crus totum in universum eandem offert metamorphosin, cutis autem cruris hic colore bruneo magis fusco tinctus conspicitur atque iste color aequalius et extensiori ambitu est diffusus. Praeterea in eo e numero tubercum majorum prominentium duo supra calcem observantur, paulo altius porro tuber figurae magis oblongae, media in tibia aliud similis formae, in spina ossis tibialis aliud adhuc rotundum magis et supra patellam majus quoddam, cujus apex crusta est oblectus. Externum femoris latus coloris est brunei ac nodosum, latus posticum cum attingente nate sinistra aequo conspicitur decoloratum et rugosum ac dextrum.

Utraque crura grandi macie sunt torrida, insuper, ubi cutis degenerata est, majoribus vel minoribus la-

mellis coloris argentei desquamantur et his in locis, ubi tamen noduli simul apparent, altiori gradu et quidem ita reperiuntur torpida, ut acum saepe multum ultra dimidii pollicis spatium artubus possis intrudere, antequam puer dolorem percipiat. E punctio- nis apertura, pressione adhibita, paulum sanguinis nigri emanat. Venter valde prominens, pectus ac dorsum cutem quidem paulum sordido-gilvam, aeio- quin vero prorsus non mutatam ostendunt.

Simili modo res se habet quoad integumenta in universum et unguis manus dexteræ; sed statim supra carpum, in latere externo antibrachii jam tuberum formatio, singulatim magis apparentium, denuo incipit, et ad cubitum usque attollitur, quem majori in ambitu præcipue deformat et incrassat, denique in latere postico brachii superioris, in ejus propemodum medio, terminatur. Tuberculum quoddam magnum, regioni olecrani inhaerens, crusta quadam cinerei coloris oblecta conspicitur. In latere interno antibrachii et brachii superioris uti etiam in tota posterioris semisse et in axilla cutis normalis est.

Integumenta manus sinistrae contra sana sunt, externum antibrachii planum, ut supra, magnis inprimis tuberculis obsitum; internum normae est conveniens; cubitus, si fieri potest, tuberculosior adhuc quam in brachio dextro; supra condylum ossis humeri nodi parvi, prominentes ac magis circumscripti

animadvertuntur, qui, ad brachium usque extensi, magnitudine argentur; in humero hujus lateris nodus amplus, singulatim prodians, conspicuus est. Brachia valde sunt strigosa et ubi, tam hic quam toto in corpore, venae in superficie magis sunt positae neque adeo noduli ac maculae deprehenduntur, hae intumuerunt et per cutem perspicue translucent.

Mirum in modum vero facies est defoedata, quia hic noduli fusco-brunei, insigniter magni et arcte circumscripti, cum cute faciei flaccida quidem, ceteroquin autem non decolorata, graviter alternant. Totum mentum amplus est nodus, cujus sulci superficiales originem ejus et pluribus minoribus innuere videntur. Versus partem inferiorem hic nodus a cute sana sulco quodam, uti in collo prominente hominum adiposorum est conspiciendus, separatur, superne autem rima quadam formae semilunaris a labio inferiori, multum tumido, longe propendenti atque decolorato, disjungitur. Labium inferius, dentibus arcte adjacens et crassum admodum, proprie e duobus magnis tuberculis constat, quae statim sub narium septo cartilaginoso coalescunt, in margine labiorum vero rima quadam coniformi separantur, cujus parietes crustis et cruore exsiccato sunt oblecti. Haecce quidem pars magnam cum labio superiori leonis similitudinem prae se fert. Apex, alae ac dorsum nasi magno quodam et oblongo nodo sunt oblecta, qui proxime ad

partem nasi superiorem, desinit, ubi cutis sana est. Ambae genae magno tuberculorum tam minorum quam majorum numero attolluntur, quae omnia conflunt et in quavis latere prominentiam formant semilunarem, cujus positus convexus cum magno in naso tubere conjunctus est, concavus vero regionem glandularum salivalium ex parte amplectitur, cujus cornu superius super os zygomaticum et aurem externam excurrit, apex vero inferior ad angulum maxillae inferioris decurvat. In fronte tubercula magna, magis inter se invicem confluentia, conspiciuntur, quae propemodum ad trianguli forma sunt disposita, cujus apex superne vergit, basis vero prope ad nasi radicem transit et cum superciliis tumidis, tuberculosis, proponentibus consociatur. Ante capillitium in fronte, uti et in temporibus cutis naturalem retinet habitum. In omnibus his nodulis ac tuberibus, quae, prope oculo insperta, visum praebent fasciculi e musco compositi, crassi et fusco-brunei in saxo arenario subflavo, vasa formam retis referentia, subtilia, coloris rubro-coerulei, expansa videre licet. Superciliorum pili evanuerunt; palpebrae cilia sua prorsus amiserunt et planae sunt, in cantho oculi externo nodulis deformatae, interno autem sanae; conjunctiva scleroticae subflava est, oculus paulum prominet et vegeto motu circumfertur. In cute capitis superiori nihil morborum observatur, capilli in eadem in acumi-

nibus tantummodo paululum palescunt. Mutationes in cavo oris, faucium et nasi ortae manifestantur mucosum quodam bruneo, tenaci, qui dentes obducens, ad labia excoriata usque adesse pergit ac durante somno ex ore effluit; porro lingua tumida, clivo similis et praecipue in radice indurata, quae, uti et totum velum palatinum, rubra est et hic illic epidermide sua privata. Tonsillae paulum intumescunt et uvulae particula, ut et modica pars arcuum palatinorum inferiorum ac superiorum juxta jacentium, ab ulcere quodam superficiali, pus laete flavum secernente, pedetentim consumuntur. In faucium profunditate nihil certi cognosci potest, quoniam lingua tumida quodvis oculo altius penetrandi periculum impedit; attamen et hic mutatio quaedam praesumi potest ei similis, quam in larynge jam continuatam esse oportet; vox enim pueri aspera est et peculiari modo latrans. Ita etiam ad inspectionem internam nasi prorsus tumidi pertingendi copia non est data, qui ceteroquin ad respirationem, nec non ad materiarum olentium perceptionem inhabilis factus est.

II.

Caje (Catharina), puella Esthonica annor. 27 in pago Woase praedii Rasick, quod ad tractum Harrensem pertinet et milliare tantum rossicum a domicilio

pueri supra memorati destat, sanis ceterum parentibus nata, in regione igitur vitam degebat, quae ubique paludibus circumdata, insuper veris tempore aqua nivali accumulata, autumnali vero crebra pluvia ita irrigatur, ut ubique pontes necessitate cogente raptim exstrui oporteat. Secundum narrationem puellae, quoad alimenta consueta, iisdem fruebatur, quorum jam supra mentio est injecta. Insuper in ejus pago, puella quaedam 17 annor. vita decesserat, eadem nota, quae hoc ipso ejus morbo infestata, plurimum hebdomadam intervallo Revaliae sine omni omnino successu curate fuisse perhibetur. In praesenti adhuc ibidem mulier quaedam, 50 annos nata, moratur, quae ut supra memoratus Georgius, paulum tantum minus in facie deformata ulceribusque in pedibus affecta est; in altrice etiam hujus puellae aliquo abhinc tempore noduli apparebant debiscentes et in ulcera transeuntes.

Postquam aegrotae nostrae aetatis anno quindecimo menstrua intraverant, eademque ad vigesimum usque constanti sanitate gavisa erat, sub hoc tempus prima mali, nunc eam infestantis, vestigia sequenti modo conspicua fieri coeperunt: Durante levi frigore, vesperi praecipue animadverso, primo maculae sordido-rubro-brunae super molleolos externos et internos amborum pedum, in parte surarum inferiori et in tibiis erumpebant, quarum nonnullae rotundae, aliae

oblongae magis essent et pollicem vel amplius in diametro continerent. Illis satis diu sine doloribus ac sine mutatione hic permanentibus, desquamatio consequebatur furfuracea, pruritu nonnullo comitata. Jam maculae istae semper magis magisque diffundi inceperant, tandem earum multae confluebant ac totum pedem obtegebant, quo facto ab his partibus superne caput versus Leprae universalis eruptio conspiciebatur. Haec eruptio nullis febris accessionibus sub sensum cadentibus erat stipata et vel nunc nullum ejus exstat vestigium. Ciborum appetentia aegrotae proba est, fortasse paulo nimis vehemens, alvus itidem ac urina sunt normales, menses tantummodo, qui hucusque haud turbati fluxerant, mox post ejus in nosocomium receptionem ultima vice prodibant.

Crus dextrum circa maleolum colorem ostendit sordido-brunneo-rubrum, qui sursum ad genu usque ascendit et hic in singulas maculas eiusdem coloris abit, contra, cum deorsum versus extenditur, omnem pedem obducit. In morbi decursu totum crus hanc recipiebat decolorationem. Partes illae sunt strigosae, siccae et, ob desquamationem levem, furfuraceam semper obviam, tactu paulum asperiores. Quo accuratius pes deorsum versus examinatur, eo magis desquamationem increscere observatur, et quidem multae levesque fissurae, in dorso pedis et supra calcem praesentes pulvere quo-

dam candido, perspicue animadvertendo, sunt repletæ, qui in pedis lateribus crassior fit et crebrior, tandem vero in cute plantæ pedis oblecta quam maxime apparet. Pedis unguis satis sunt boni, hallicis tantum unguis sub-flavo-candidus, quasi emortuus et paulum sursum versus directus reperitur. Regio externa dextri femoris statim supra genu pluribus tuberculis, e cute modo formatis, obsita est, quæ cum maculis alternant; interim reliqua femoris pars cum lateris sui nate cutem prorsus sanam ostendit,

Par propemodum quod pedem, crus, femur superius et sinistri lateris natem, est ratio; in hallicis tantummodo vicinia, super pedis dorsum tuberculum tactu durum, $\frac{1}{4}$ poll. in diametro æquans et in nate cicatrix quaedam candida, matrici margaritarum similis coloris, figuræ autem irregularis, ulceris cujusdam, ante morbum erumpentem jam obvii, fit conspicua. Abdomen valde inflatum maculas ostendit parvas et admodum dispersas, atque in regione cinguli, quem puellæ nostræ rusticæ sæpe nimis corpori adstringunt, loca singulâ candida, ex intento corporis motu, quo pars illa atteritur, orta et residua animadvertuntur. In pectore apparent maculæ eodem, quem supra indicavimus; modo se habentes, simul areola utrarumque mammae papillarum ampla est, fusco magis quam in statu

sano colore tincta ac nodosa, hæ ipsæ autem ambæ collapsæ, duræ et depravatæ. In cute totius dorsî nulla observatur abnormitas.

Brachium dextrum macrum est, in eodem, præcipue in carpo, plures noduli ac maculæ efflorescentes animadvertuntur, quorum posteriores et in brachio inferiori conspici possunt, hic vero rariores sunt et coloris lactioris cubitui duo tubercula, magis plana, fabæ magnitudinem referentia, inhaerent. Brachium superius omnino sanum deprehenditur.

In brachio sinistro eadem mutationes locum habent; si exceperis quod in cubito hic plura sunt tubercula, quorum unum inprimis demissum et latum pus colligere incepit, nunc vero crusta quodam cinerea eaque crassiori oblectum reperitur. Collum sanum est.

Tota facies subrubro tincta est colore, et in mento, labiis, naso, genis, fronte, uti etiam in marginibus superciliaribus rete quoddam vasculosum subtile idque venosum conspicuum fit. Mentum paulum tumidum deprehenditur et crassum ac manifesto incipientem tuberculorum formationem indicat. Labia perspicue sunt amplificata, præsertim labium superius; in marginibus ejus coeruleo-candidis, quorum cuticula nullibi desideratur vel scissa est, noduli plani in altum se attollentes conspiciuntur; qui insigniter præcipue supra dextrum oris an-

gulum prosiliunt. Nasus turgidus est et, ut genae, tuberculis confluentibus et efflorescere incipientibus oblectus; in gena sinistra excrescentia quaedam verrucosa observatur, in dextra earumdem plures iuveniuntur, Frons inprimis in glabella rubra, inflata, hic illic nodulis obsita apparet; qui posteriores praesertim in nasi radice accumulatur ac sulcis, a superiore ad inferiorem partem decurrentibus, sunt disjuncti. In regione superciliarum tumida atque tuberculis aspera reddita rete vasculosum rubrum quam maxime sub oculos cadit et ipsae auriculae amplificatae ab eodem, ceteroquin nullis nodulis conspicuis, obducuntur. Cilia in palpebra sinistra inferiori prorsus defluerunt, in dextra vero tria adhuc remanent, et in palpebris superioribus ex parte tantum desunt. Versus nasi radicem in superciliis nonnulli adhuc pili molles cernuntur, reliqua eorum pars plane est nudata. Capitis cutis sana, capilli quoque prope eam colorem naturalem laete brunneum retinuerunt, versus apices autem valde palluerunt et, ut capilli laterales, gilvi sunt ac situm redolentes. Praesens cavitatis faucium ac nasi affectio post malum per anni spatium jam morans incipiebat et sequentibus continetur momentis, Dentes mucosordido sunt obducti, ceteroquin tamen sani. Postea gingiva speciem exhibebat omnino scorbuticam, subcoeruleo-rubra facta est atque levissime tantum con-

tacta sanguinem emittebat; quae phaenomena probabiliter continuo Arsenici usu provocabantur. Linguae superficies cernitur subcinerea et in medio excrescentiam ostendit verrucosam, rhagadibus perruptam, magnitudinem ac formam mori Idaei referentem; latus genarum interius sanum est; palatum durum in vicinia dentium incisorum rubrum, asperum et nodulis flavis, milii granis similibus, conspicitur. Tonsillae paulum sunt turgidae et, ut palatum molle et uvala, rubrae et prominentis verrucosis instructae, quin etiam hic illic jam leves his in partibus excoarationes occurrunt, quae transitum in ulcera depressa moliantur. Omnia haec organa in glutitione tantum dolores quosdam sentiunt. Eodem membranae pituitariae degeneratio in posteriori cernitur pharyngis pariete ac probabiliter et laryngem jam occupavit; vox enim est rauca et acutius latrans, atque aegrotata, ut loquendo intelligatur, crebro ac fortiter screeare cogitur.

III.

Anna, e pago novo (Neudorf), qui intra fines ejusdem praedii Rasick, cujus jam supra mentionem fecimus, est situs, 21 annos nata, temperamentis phlegmatici, usque ad praesentis morbi initium, si variolas, quas infans decem annorum pertulerat et oculorum inflammationem, paucis abhinc annis prae-

sentem, exceperis, optime se habuerat. Anno aetatis 15 menstruatio intrabat, menses autem, per 5 annorum intervallum normaliter profluentes ante annum deficiebant, quod a puella mox post eruptionem magni pustularum numeri observatum est. Hae pustulae a febre haud omnino levi comitatae, in qua inprimis vehementes capitis dolores et magnam percipiebat sitim, primum in facie apparebant, unde gradatim per totum corpus propagabantur. Facies ac serius etiam extremitates inferiores quam gravissime hoc exanthemate erant obsitae. Postquam pustulae aliquantum temporis moratae erant et aegrotam subcandidam quandam materiam ex iis expresserat, lente evanescebant, et locum cutaneum colore paulum fusco coloratum ac modice elatum relinquebant, denique sensim sensimque in praesentem exanthematis conditionem mutatae excolebantur. Facies coloris primitivi est laete cuprei ac sordidi et pruina quadam levi coeruleo-grisea obducta observatur, ubi tamen conspicua epidermidis desquamatio non erit praesumenda. Peculiaris haec coloratio brevi spatio ante capillorum primordia, in fronte ac temporibus cessat, tum deorsum versus ad angulum usque maxillae inferioris progrediens, inde a mento versus partem inferiorem prope modum ad regionem cartilagineae thyreoidaeae extenditur. Isto in fundo ubique rete vasculosum subtile magisque fuscum observatur, in eodem majores vel

minores prominentiae attolluntur. quae partim subrotundam, partim, plurium consociatione, formam prorsus irregularem, fere deletam, nactae sunt, simul autem molles sunt et holoserici instar, tactu percipiendae. Omnes hi noduli, nondum quidem prorsus sunt exculti, verum tamen jam multo magis conspicui quam casu praecedenti. In tubere frontali cujuslibet lateris prominentiae omnino irregulares, confluentes, animadvertuntur, quarum plures versus summos apices paulo laetiorum quam qui toti nodulo proprius est, colorem adoptant. Sulci frontales oblique decurrentes profunde jacent; cutis inter eos turgida est; super nasi radicem tres iuventur incisurae profundae, ad dorsum vergentes, et in sinistra superciliarum regione quarta quaedam, quae omnes totidem e prominentiis oblongis, mollibus ac nodosis formatae sunt. Cutis in toto superiori oculorum cavitate margine nodose est inflata, in canthis oculi internis, ut in facie ira incensa, propendens et hoc tantummodo loco pilis parvis, flavis, valde subtilibus adhuc obsita; qui non cuti sunt adpressi, sed erecti et setacei conspiciuntur. Superior palpebrarum pars turgida est, in ea cilia omnino fere desunt, et pauca illa in punctorum lacrymalium vicinia adhuc obvia admodum sunt subtilia et floccosa. In palpebris inferioribus cilia prorsus deficiunt. Oculi splendidi sunt eorumque conjunctiva colore flavo tincta. Na-

sus in radice valde crassus, defoedatus et asper, in apice iidem tumidus, nodosus adeoque paulum pro-pendens deprehenditur; alae nasi deformiter sunt amplificatae, asperae et inter se ac genas inflatas pro-fundam formant fissuram. A regionibus lateralibus nasi supra ambas genas, obliqua directione deorsum versus, sub ossibus zygomaticis tumida cutis plica praetercurrit, e meris nodulis depressit ac latis con-stans. Regio ossis zygomatici pluribus tuberculis, ma-gis subrotundis, obducta est, quae manifestissime apices suos coloris laeti attollunt. Labium superius crassum est ac philtrum suum ob tumorem penitus ami-sit et in toto margine suo nodulis initium capientibus consitum est. Labium inferius similiter est crassum ac nodosum et a mento, maximo gradu tuberculis ob-tecto, per incisuram profundam, semilunarem, se-paratur Regiones laterales maxillae inferioris, uti etiam cutis sub mento obvia iidem quidem sunt de-coloratae, sed cum reliquis faciei partibus compara-tae minime nodosae. Helices auris ut auriculae sunt decoloratae, minus tamen quam hae nodosae; capitis cutis maculas coloris omnino laeti continere videtur, capilli in eadem autem in apicibus pallidi sunt, fissi, valde tenues ac flavi coloris.

Praeterquam quod mammae flaccidae, earum vero papillae parvae, tuberculosae et, sicut areola, fusco admodum colore tinctae reperiuntur, reliqua

pectoris, colli, dorsi, brachiorum et abdominis nul-lam exhibent abnormitatem.

Similiter etiam femora sana, et pluribus de-mum hebdomadibus elapsis, praecipue in postico eorum latere plura tubercula excoli coeperunt. Circa genua vero jam maculae deprehenduntur singulatim apparentes, laete bruneae oc subrotundae, quae ad pedes usque descendentes magnitudine et numero ita aurescunt, ut hae postremo colore sordido-bruneo imbuantur. Hic quoque epidermis multi parvis scis-suris omnia versus latera trajecta invenitur, quae in pedum digitis et universim in plantae pedis ambitu ita increscunt, ut his in locis desquamatio furfuracea praeparetur, quae in planta pedis perfecte exculta, jam omnem hic cutem callosam consumsit. Ungues pedum subcandidi et emortui sunt, et tam in cruri-bus quam in brachiis consueta corporis muliebris de-sideratur plenitudo; cutis horum partium flaccida ma-gis est.

Colli affectiones, in praesentia lente admodum apparentes, ejus sunt generis, ut per eas loquela pa-rum tantum fracta ac tennata videatur et glutitio mo-dice tantum sit incommoda. In oris cavo nihil quod memoratu sit dignum cernitur, tonsilla tamen sinistra maculam habet coloris cinerei, quae et in dextra, minoris autem ambitus, obvia est. Velum palatinum colorem rubrum sub-cinereum ac laetiosem quam

statu ostendit normali et asperum est, nodulis depressis quasi obsitum. In pariete pharyngis postico rubrum laetum et colori cinereo est intermixtum. Domicilium hujus paellae, cum pagus, quem incolit, intra fines praedii supra memorati situs sit, itidem est coenosum et insalubre, et quod alimenta attinet, in tota regione illa sibi sunt similia. Quoad praesentem ejus valentudinem universalem, id tantum affero, aegrotam valde segnem videri, multum dormire, cibos haud modica quantitate adsumere et alvo adstricta laborare.

IV.

Mattis (Matthaeus), e praedio Awwinorm in dioecesi Lohusu, ad tractum Dorpatensem pertinenti 35 annos natus. statura procerus ac firmae structurae, hoc suo loco natali negotio custodis sylvarum fungitur. Quoniam hic aegrotus accuratioribus explorationibus meis subito ad domicilium suum reditu se subtraxit, hic singula tantum examinis momenta cum Lectoribus possum communicare.

Regio, quam vir noster incolit, lutosa est et negotia quibus potissimum occupatur sunt aut venatio hoc humido in solo aut insidiae, quas ligni furibus in sylva collocat, quae res eum interdum et noctu in aqua ac nebula vitam degere cogunt. Anno abhinc praeterlapso ruborem observabat intensum et constan-

tem, qui totam ejus faciem obduceret et hic in colorem magis fuscum semper transiens, postremo duris nodulis contegeretur, qui serius et in utrisque brachiis apparebant. Cum eum conspicerem, facies ejus coeruleo-rubra, frons autem magno tuberculorum durorum et immobilium numero obsita erat, quorum majora nucis, minora diametrum pisi aequabant, sed, ut omnes reliqui noduli, haud verrucarum more, cuti inhaerebant, sed in basi sua gradatim in hanc abierunt. In superciliis nodosis et crassis parvi pili conspicui erant et, propter regionem ossium buccalium, simili modo mutatam, oculus profunde positus et exiguus conspiciebatur. Genae ac dorsum nasi pariter rubra et sub-coerulea deprehendebantur; epiphysis vero posterioris cartilaginosa ruborem ostendebat magis fuscum et corrugata erat, qua re nasi apex formam adeptus est acuminatam, in latere compressam. Labium superius crassum offendebatur et, uti labium inferius cum toto mento, tuberculis inaequalibus inflatum erat et in barba arcte amputato multi ubique loci cernebantur, qui pilis nudata essent et squamulis sub-flavis, asperis, semirevulsis quasi conspersi. Tota facies splendebat ac si unguento esset oblita. In collo, dorso et brachiis superioribus cutis sana erat, toto autem in osse sterno et circa pectoris papillas maculae, coloris cuprei, maximam partem rotundae, arcte circumscriptae, parum tantum cute

elatioris et magnitudinem nummi rossici qui pro 5
Copecis (Kopeken) valet, aequantes considerant. An-
tibrachia tumida videbantur, carpos vero ac digitos
revera tumidos fuisse, nullum admittit dubium. Et
his in partibus hic illic noduli, magnitudinem nucis
referentes, conspiciebantur, qui nequam ruberent,
sed colore naturali et, cartilaginum instar, duri es-
sent, simul autem sub cute magis, quam in eadem
haerere viderentur. Venrem, lumborum regionem
et femora inspicere mihi non contigit, et quod crura
attinet, haec praeter tumorem suum, qui pedum oedematis
speciem prae se ferebat et tactu duris erat,
nec non multa tubercula dispersa offerebant, iis,
quae brachia obtegebant, similia. Pedis junctura
tumore speciem informem ac parum concinnam ad-
epta erat, nec minus pedes incrassati et nodulis obsiti
inveniebantur. In brachiis et cruribus sic deformatis,
praecipue vero in manibus et pedibus sordes tenaces
sunt observatae, quas ab exsudatione sudoris morbose
mutati productas existimaverim. Quod denique vo-
cem attinet, obtusa erat ac minus liquida, et manife-
sto laryngem immeabilem esse testabatur.

Praecipua morbi phaenomena.

Si mala quaedam chronica nuncupari merentur,
lepra profecto et elephantiasis nodosa, quae ad sum-
mos ejus pertinet gradus, his erit adnumeranda;

nam saepe actio impulsuum endemicorum et climati-
corum per annos continuata, requiritur, antequam
morbi materia in corpore humano evolvatur, quae
postea mutationum pesimarum rationem continet.
Negari quidem non potest, hunc morbum expeditiori
forsan via, infectionis videlicet, excoli, sed ut
omittam, hunc casum ad longe rariores pertinere ac
tantummodo malo ulterius progresso et crebro cum
aegrotantibus commercio et consuetudine adduci, in
re ipsa nihil hac sententia accepta mutatur et malum,
de quo loquimur, semper quidem decursum mirum
in modum lentum retinet, uti ab omnibus de hoc
argumento scriptoribus optimo jure perhibetur. Jam
Constantinus Africanus*), saeculo undecimo florens,
monebat: „Morbis durus est et prolixus.“

A re haud videtur alienum, si elephantiasis no-
dosa secundum mutationes majoris momenti, in ea-
dem occurrentes, in plura dispertiat stadia atque
statuatur:

I. Stadium morbi incipientis.

Huic stadio longius vel brevius temporis spatium
praecedat necesse est, in quo materia leprosa, sive
in corpore evoluta, sive in illud recepta, sensim sen-
simque mutationes provocet, phaenomenorum seriem

*) Phil. Gabr. Hensler vom abendlichen Aussatze im
Mittelalter. Hamburg 1790. Excerpta p. 24.

quandam producentes. Primis vero leprae initiis sub sensum cadentibus leves motus febriles omnino sunt accensendi, qui, quamvis non ab omnibus aegrotis observati, a nonnullis tamen accusantur. Sic in uno ex iis, quos attulimus, casibus, levis tantum horripilatio apparebat, quam aestus, modicus, sequities et serius exanthematis eruptio consequencebatur, in alio contra frigus jam intensius, quod aestui eique haud mediocri locum cedebat, cui etiam dolor capitis, os siccum, magna sitis et languor manifestus adsociaretur. Inter diversos talis febris observatores, occidentalis cujusdam, Theodorici *) mentionem tantum injiciam, qui sequenti modo eam describit: „Cognoscitur (infectio) per calorem lentum in profundo corporis, ad exteriora se diffundentem. Universaliter sentiunt punctiones et arsuras in exterioribus, quandoque cum frigore et rigore, quandoque sine. Variantur colores frequenter de rubeo in album et e converso. Item malitiosos et venenosos sentit discursus subcutaneos. Item sentit quasi formicas super faciem transeuntes; facies diffunditur colore inflammato; frequens adest insomnietas,“ et statim post affert: — „facies subtumescit, omnium membrorum adest aggravatio, vix potest moveri de loco in quo sedet.“

*) Hensler. Excerpta p. 30.

Inter recentissimos observatores ad praeceptorem meum honoratissimum, Professorem Dr. Struvium *) provocho, qui experientia, lepram Holsaticam observando, edoctus, crebro pariter hunc morbum cum motibus febrilibus initium capere profiteatur. Ubi igitur febris obvia erat, haec aut critica quadam materiae leprosaee in cutem depositione tollitur, aut iis in casibus ubi deficiebat, morbus sic gradatim in integumentis universalibus excolitur, ut eo correpti nihil prius de malo suo praesente augurarentur, donec ipsum oculis conspiciant. Eam ob causam, quod, praeter elephantiasin jam excultam, communiter etiam ejusdem prodromi permanent, ut universali experientia edocemur, eorum nonnullos ex propria experientia hic in medium proferre mihi licebit.

M a c u l a e sunt cutis decolorationes, quae in variis corporis partibus, praesertim in extremitatibus, tum vero communiter frequentiores in inferioribus quam superioribus, apparent. Istae decolorationes semper fere cutis altitudinem aequant, interdum solummodo paulum super eam attolluntur, et hoc in casu peripheriam exhibent circumscriptam, in praecedenti vero majis deletam. Magnitudo macularum diversa est, in ortu modica, quo magis vero invete-

*) L. A. Struve über die aussatzartigen Krankheit Holsteins allgemein daselbst die Marschkrankheit genannt. Altona 1820 p. 3 §. 5 e. c. t.

rascunt eo magis extenduntur atque in thorace et femoribus formam satis rotundam, in pedibus irregularem et in brachiis oblongam recipiunt. Quoad colorem magna observatur varietas, nonnullae enim sordido-bruneum, nuci similem, aliae cupro laevigato, sed infuscato, aequiparandum ostendunt, aliae porro in bruneo-rubrum magis vergunt, imo et subcaeruleas, gilvas, et sordido-sub-virides maculas deprehendi perhibetur. In ortu hae maculae laetiori quam serius colore sunt imbutae, atque posteriori demum tempore torpidae fieri incipiunt, qui torpor semper aurescit. Cutis locus morbosus, digitis contactus, laevis apparet et singulariter mollis, cutis hoc in loco quasi marcida et vi sua tensiva privata videtur. Epidermis, quae maculas obducit, nihil sulcorum illorum innumerabilium, subtilium, diversas in partes abeuntium cutis sanae conspiciendum praebet, sed laevis magis est et, si macula acu pungitur, in subtiles plikas contrahitur, quae ab acus apice radiatim procedunt. Hoc phaenomenon, quod in pannis multo adhuc est manifestius, ex mea quidem sententia, inde oritur, quod morbosus cujusdam pigmenti in reti mucoso cutis et in hac ipsa accumulatione, epidermis plus vel minus a consociatione sua vitali distrahitur, ideoque emori et parum tantum desquamari incipit, quod vel exsudatione laticis e maculis, sensibus vix percipienda, adjuvari videtur, Acus punctiones in

nonnullis maturius, in aliis ulterius jam progressis, serius sentiuntur et, pressione quadam adhibita, ex apertura sanguis niger scaturit. Maculae lentissime tantum mutantur, saepe vix mensium et annorum intervallo, et aegroti, cum illae amplificantur, communiter nullas alias turbationes experiuntur morbosas. A Morphaea nigra eo differunt, quod non ita haec, tactu sunt asperae, fricatae ruborem non contrahunt nullamque punctionem vel dolorem urentem, forsitan pruritus quendam levem, adducunt. Henslerus (l. c. pag. 49) Morphaeam nigram seniorum pro exanthemate, herpetibus nostris aequiparando, habere pronus est.

Pannii (Maalzlätze) inde ortum ducunt, quod maculae sive ambitu augentur, sive quod plures earum confluunt et amplos locos cutaneos obtegunt. Si conspicui fiunt, lepra ulterius jam est progressa, quare etiam fusco magis colore sunt tincti et multo maculis torpidiores prodeunt. Tali panno acum in trium linearum profunditate intrudere potui, antequam dolor sentiretur et hic etiam, pressione paulum fortiori adhibita, sanguis niger prorupit. Epidermis in pannis crassior est, splendidior et magis perspicue quam in maculis, lamellis tenuibus, argentei coloris, desquamatur. Macularum instar, ab initio non sunt prominentes, serius autem, dum in eorum superficie tubercula formantur, in elephantiasin nodosam transeunt.

Apud omnes eosque diversissimos auctores allatum reperitur, maculas ac pannos prima esse altiorum leprae graduum initia. Sic jam saeculo XIII Theodoricus*) monebat: „In omni lepra in principio maculae superveniunt,“ si vero mox addit: „et cito recedunt,“ hoc quidem et ab aliis est observatum, ut ã. g. apud Vitalem de Furno**) et Dejean***) legere licet, sed in casibus a me expertis animadversum non est. Sic etiam Theodoricus ille supra memoratus torpidam harum partium conditionem tanquam generale incipientis leprae signum laudavit, Schillingius****) item symptoma illud censet majoris momenti cum dicit: „Atque ego quidem duos inveni characteres, certos et constantes; primus est mutatus Cutis color, in ea corporis parte, in qua malum erumpit. Insensibilitas partis affectae, quam Medici hodie graeco nomine Anaesthesiam nominare solent.“ Idem et in nota quadam (pag. 6) Aretaeum memorat, qui primus hoc signum introduxisse fertur et Andream Cleyerum, qui istam anaesthesiam statim a morbi initio cum primarum macularum eruptione intrare videbat. Maculas diverso modo coloratas imprimis et elephan-

*) Hensler. Excerpt. p. 31.

**) Hensler. Exc. p. 6.

***) Apud Hensler l. c. Beilage II. p. 105. Dejean von dem Aussatze auf den ostindischen Inseln.

****) G. G. Schillingii de lepra commentationes, Lugduni Batavorum 1778 pag. 6.

tiasi praecedere et magna cum insensibilitate sociatas esse et C. Sprengelius*) affert et Haasius**) opinatur, maculas, si candidae sint, in lepram albam, si vero bruneae sint, in lepram nodosam transire. Monendum adhuc mihi videtur quod Avicenna (Henler Exc. pag. 15) de loco, quem lepra incipiens occupet, in medium profert. Ipsi ejus utar verbis: „Et incipit, imprimis ab extremitatibus, et membris levibus: et illic cadunt pili ab ea, et alteratur color ejus: et fortasse pervenit ad ulcerandum: deinde vadit paulatim in corpus totum. Nam quamvis prima generatio ejus sit in visceribus, tamen prima impressio ejus est in extremitatibus, quum sunt debiliores.“

Pustula (Finne.) Ad hanc exanthematis cutanei speciem accuratius designandam, compulsum me sentio maximam partem ea in rem meam convertere, quae ab aliis hoc de argumento memoriae prodita sunt; nam mihi ipsi in conspectum non venit, sane vero individuum quoddam elephantiasi tuberculosa affectum, cujus pustularum, satis longo abhinc tempore jam sanatarum, descriptionem hic praemittere lubet.

*) Kurt Sprengel's Handbuch der Pathologie. Leipzig 1797. Theil III. p. 565 §. 919.

**) W. A. Haase über die Erkenntniß und Kur der chronischen Krankheiten. B. III. Abtheilung 2 pag. 349 §. 687.

Comitante febre haud omnino levi, quae puellam aliquantum temporis negotia sua relinquere cogeret, in facie primum magnus prominentiarum rubentium numerus erupit, quae mox etiam in extremitatibus conspiciebantur; dein vero hic illic in reliquo corpore prodibant. Quaelibet harum papularum cito capitulum accipiebat flavum et pruritu suo ad fricationem provocabat, qua pustulam dehiscere et contentum suum emittere consentaneum erat. Ulcusculum hoc modo ortum crustula obtegebatur, cujus in circuitu tamen rubor ac tumor neutiquam evanescebant, sed sensim sensimque sub-coerulei reddebantur, tandem vero, crusta, jam delapsa, gradatim in deformationem quandam mollem et nodosam mutabantur. Id vero de facie tantum valet, nam in reliquo corpore mox omnia pustularum vestigia cessabant. Occidentalis regionis incolis haec pustula jam saeculo XIII. optime erat nota, eandemque non solum qua leprae prodromum observabant, sed et plures pustularum species statuere pro re habuerunt non minimi momenti. Inter veteres his tantum Guilielmum de Saliceto (Hensler Excerpta pag. 34) hoc ex saeculo excito. Secundum eum malum nomine „Saphati“ insignitur et 4 diversis speciebus apparet, quarum una praecipue in facie occurrit, cum pruritu consociata est, et fluidum sub-caudidum vel flavum continet, quod quandoque ex iis destillat ac minores aut majores crustas

format. Secunda quaedam species parva est, acuminata, inflammata, dolens ac madens. Tertia ejus species brunnei est coloris, pruritum excitat levem, exiguum ostendit ambitum, dura porroprehenditur, haud inflammata, sicca et, cum aperitur, substantiam continet pultaceam; quam speciem „Gossou“ nominat. Postremo adhuc de pustulis magnis, mollibus, sub-brunneo-rubris loquitur, quae puris crassi sub-rubri copiam contineant. Hac descriptione compertum habemus, quam accurate veteres hujus morbi genera distinguebant, ne forte prima mali quoad sequelas tam horrendi initia negligenter. Ipsa adeo nostra memoria inter leprae primordia illae pustulae vel valde eis similes denuo observatae sunt, Buechnerus*) enim signis apparere incipientibus morbi „Spedalked“ dicti, exanthema adnumerat quoddam leprosum, per totum corpus diffusum, vehementi pruritu stipatum et Struvius**) in pluribus aegrotis per totum corpus pustulas fusco-rubras, arcuatas aut nodulos prorumpere videbat, lentis magnitudinem ac formam aemulantes, quorum apex post aliquantum temporis lymphapurulenta repleretur et tum siccassere inciperet. Quodsi exanthema siccum esset, tactu molle, holoserii adeo instar, apparebat. Postquam pustulae disparuerant,

*) Hensler l. c. Beilage III. H. D. Buechners Nachrichten von der Spedalkhed im Bergenstifte.

**) Struve l. c. pag. 16. §. 19 et p. 50.

cutis per annos adhuc inaequalis et aspera permanebat. Magni momenti quoque mihi videtur monere quod in nota quadam (p. 50) de observatione Dr. Jahni affert, secundum quam in muliere quadam, praegressa febre et capitis dolore, qua leprae prodromus, exanthema variolis vaccinis simile, praecipue in facie ac manibus, efflorescebat, quod 8 diebus elapsis siccescere inciperet. Sine controversia hic maxima cum casu nostro similitudo animadvertitur.

Numne fors haec pustula ut Henslerus (l. c. p. 83) statuere haud recusat, e complicationibus materiae leprosaе cum materia psorica vel adeo syphilitica ortum duxerit, cum ex ejus sententia exanthemata mere leprosaе indolis semper fere ad sicca pertineant, discernere non audeo, monere tantum hic juvat, quod in casu, qui mihi occurrit, quaelibet suspecta cum viro communio constanter fuerit negata neque in integri anni decursu symptoma quoddam observatum est, quod copiam nobis faceret praesentem quandam in corpore materiam syphiliticam statuendi.

Gutta rosacea (die rothe Haut.) Hoc exanthema qua rubor fuscus, interdum sub-coeruleus, ab initio in facie et hic praecipue in dorso nasi vel in genis, in mento et in fronte conspicitur, haud raro autem integram obducit faciem et hic illic pustulis et crustulis obsitum est. In mento pilos barbae hoc morbo quamvis non prorsus defluxos, ita tamen

correptos vidi, ut plures loci parvi plane nudati apparerent. Secundum Henslerum (l. c. p. 87) gutta illa rosacea semper pruritu, quandoque pustulis, exanthematibus purulentis et crustis, integram saepius faciem occupantibus, comitata incedit, nec minus, eo observante cutis singulis interdum in locis, imo etiam universa, inflata ac laeviter tensa dicitur. Prius phaenomenon in individuo quodam conspiciebam, quod simul cum gutta rosacea elephantiasi nodosa laborabat, interim tamen inflationes partiales altiori magis leprae gradui forsitan erant adscribendae. De universali faciei atque adeo totius capitis hoc in morbo inflammatione Saliceto (Hensleri Exc. p. 35) certiores nos facit, qui simul affirmat, pilos etiam barbae et capillos defluere.

Ad notitias, quae nostra memoria de leprae hoc in forma apparentis primordiis nobiscum sunt communicatae, sine dubio ea pertinet, quam Hempelio*) acceptum referimus, qui frontem laevem ac splendentem, tactu durum, prominentiis obsitam, totum vero faciem subrubram deprehendebat. In nonnullis noduli in superciliis cernebantur, gradatim decedentes. Struvius etiam (l. c. p. 91 §. 75) guttam rosaceam in lepra crebro observavit et tam e casibus hic ab eo allatis, quam ex mali hujus cutanei cum elephantiasi con-

*) Hensler. Beilage IV. des Regimentschirurgen Hempel Nachrichten von der Spedalskhed im Bergenstifte.

sociatione, supra memorata, manifesto patet, guttam rosaceam non solum altioribus leprae gradibus praecedere, sed eosdem etiam comitari. Alibertus *) primis elephantiaseos nodosae signis faciem accenset violaceam.

Vel plura alia mala cutanea prodromis morbi nostri adnumerantur sed cum nullo cum casibus supra adductis nexu sint conjuncta, consulto ea praetereo et ad secundum elephantiaseos tuberculosae stadium progrediens, hoc tantum moneo, illud non necessario primum excipere, quum crebrae observationes demonstraverint, materiem leprosam ratione critica in cutem depositam et perfectam sanationem consecutam esse. Jam Moses **) id expertus est.

II. Stadium formationis tuberculorum.

Hoc initio capto, malum omnino propemodum intermittere videtur. Saepe, uti jam ab auctoribus cujusvis temporis est observatum, maculae, inprimis vero et alii prodromi, plurium annorum intervallo parum mutantur, quin, si Schillingio ***) fidem habeas, vix 10 vel 20 annorum spatio id accidit, praecipue si aegroti victu idoneo utantur ac parca. Sine

*) Alibert. Précis théorique et pratique sur les maladies de la peau. Paris 1818. Tome II. p. 49.

**) 3 Buch Mose cap. XIII. v. 13.

***) Schilling l. c. p. 12 §. XIII.

turbatione, sanorum instar hominum, negotiis suis defungi, cibos adsumere, dormire ac liberos gignere possunt, uti et Dejan (Hensler Beilage II. p. 108) contendit. Quodsi hi prodromi serius ocus in elephantiasin tuberculosam abeunt, hoc quidem febre intensa comitante fieri perhibetur, cujus rei exactiorem descriptionem C. Sprengelius (l. c. p. 568 §. 923) nobiscum communicat. In casibus supra designatis nihil hujus generis erat animadvertendum, hic malum nostrum decursum suum lentum et vix observabilem retinebat et horrenda corporis deformatio aderat, antequam patiens aegrotum se putaret.

Ubi aegrotus ab initio maculas ostendebat, haec quidem ambitu increscebant, fortius desquamabantur et integra corporis loca, imo integros artus, praecipue extremitates inferiores obtegebant, quae aut crassae redditae sunt et inertes, auctore Celso *) aut secundum Henslerum (l. c. p. 150) magnopere emacescebant. Si gutta rosacea prodromus fuerat, haec quidem ruborem, semper magis in colorem fuscum transeuntem, assumserat, magis se extenderrat ac pustulas squamatim decidenter ex se protruserat. Pustulae originales sensim evanuerant et in parvas, sub-bruneas prouberantias erant mutatae, quibus nonnunquam et maculae adsociabantur et

*) Aur. Corn. Celsi de medicina Lib. III. Cap. XXV. p. 177.

ulterius excolebantur. Omnibus his in casibus cutis nonnullis in locis morboris attolli et gradatim majores vel minores nodulos formare incipiebat, qui tanquam satis varii quo ad colorem, consistentiam, formam et cet. a diversis observatoribus describuntur. Neque etiam aliter evenire potest, nam probe intelligitur in tanta morbi nostri per totum fere orbem habitabilem propagatione, cui addas proprietates singulorum individuorum, majores vel minores differentias et aberrationes omnino locum habere; quod eo minus est in dubium vocandum, cum adeo jam in milliarium quorundam circuitu ejusmodi jam sint observatae. Sic mihi duae manifesto nodulorum species in conspectum venerunt, quae sequente se habent modo:

A. Prima species rotunda est, multum elata, tactu, cartilagineum instar, vel glandulis haud absimilis, dura deprehenditur, magis integumentis universalibus subjacere videtur, et quia cum his se conjunxit, immobilis suo loco est inclusa. Hi noduli molliter attoluntur, neutiquam verrucarum modo, colorem cutis supra jacentis assumunt, ad spectum praebent splendido-oleosum, in extrema altitudine sua paulo sunt laetioris coloris quam versus basin, et e degeneratione quadam glandularum lymphaticarum sub cute jacentium, prodisse mihi videntur, uti et Struvius (l. c. p. 122) in nota qua-

dam monet. Magnam cum his nodulis, secundum Buechneri descriptionem, ii produnt, qui in morbo „Spedalkhed“ appellato occurrunt, quid quod hunc morbum, qua in sententia Hensleri auctoritate confirmor, et elephantiasin nostram nodosam pro uno prorsus eodemque habere vix recusaverim.

B. In specie secunda noduli in universum majores sunt, nominatim in facie saepe juglandium instar et quod excurrit, basin ostendunt manifestius denotatam et colorem fusco-sordido-bruneum, vel laete bruneum, in pigmentum subrubrum, vel cinereo-coeruleum abeuntem. In omnibus his colorum umbris ac transitibus teneros venarum ramusculos translucere videmus, qui nodulum, retis instar, obducunt, tum vero in cute circumjacente diffuunt. Noduli modo rotundam, modo, si duo vel plures confluerunt, prorsus irregularem habent formam; cutis, cui insident, neutiquam vero subjacent, aut flaccidam offert speciem atque tum cum prominentiis bruneis miram format rerum inter se pugnantium consociationem, aut maculis et ipsis est obsita, cum quorum colore hoc casu nodulus confunditur. Origo horum tuberculorum e relaxatione quadam et degeneratione retis Malpighii, cum morbosa pigmenti formatione conjuncta, fortasse erit deducenda.

In utriusque speciebus his designatis, anaesthesia magna apparet, punctiones, pollicis altitudinem

aequant, dolorem non excitant et guttulam tantum sanguinis nigri eliciunt. Noduli lente admodum amplificantur et cum primo in facie prodeunt, praecipue in fronte et supra radicem nasi, accumulatur, ubi per profundas incisuras separati, aegro vultum tetricum ac subdolum impertiunt. Supercilia fiunt nodosa, propendentia; regio ossium zygomaticorum ac genarum, aures, praecipue auriculae, nodulis obteguntur foedissimis, itidem nasi alae et apex; quae crassa et deformia redduntur, aut etiam nonnunquam corrugantur et ligneam omnino recipiunt speciem; mentum incrassescit et tuberculosum efficitur, barbaeque pilos in viro amittit; labia decolorantur, nodulis amplificantur et margines suos cinereo-coeruleos, callosos, saepe excoriatos, longe protendunt; superciliorum pili tenues evadunt et penitus defluunt; capilli putredine consumi, in apicibus diffundi et inde ab hoc loco decolorari incipiunt; cilia emoriuntur et decidunt; oculus cum sordido-flava ejus conjunctiva procidit et motu vegeto et concitato, aut etiam languido et splendoris ex parte in cavo suo agitur. Tali humana facie conspecta, ejusdem imago nunquam certe ex animo delebitur. Venter, pectus et dorsum vel non omnino vel parce tantum maculis et nodulis sunt oblecta, attamen mamma muliebris laxa propendens apparet et papillae mammales, areolae fusco-bru-

neae inhaerentes, induratae et in singula tubercula dispersita conspiciuntur. Interea et brachia jam nodulis, obduci coeperunt, praesertim circa cubitus se accumulantes, ipsos adeo digitos obteguntibus, in quibus unguis squamis funduntur et arescunt. Crura, tota propemodum pannis repleta, parem patiuntur deformationem, tuberculosa fiunt circa genua, in suris, tibiis et in dorso pedis; eorum articuli rigescunt, unguis attolluntur, aridi fiunt et emoriuntur; in plantis eorum callosis defoliatio cretacea, in crustas transiens crassiusculas, coacervatur. Frequentioribus in casibus nodulorum formatio a pedibus initium capit, dein gradatim sursum versus ascendit tandemque ad faciem pertingit, tum vero prorsus ea ratione manifestatur, quam supra indicavi. Fieri profecto non potest, ut ejusmodi deformatio, quod facile quilibet intelliget, subito oriatur, quamobrem etiam Aretaeus (Hensler l. c. p. 119) hoc respectu falsam omnino imaginem nobis tradidit, sed semper hic incrementa et exulta leprae vestigia, formae depravatae ac distortae, nascentes et consummatae, juxta se invicem observantur.

Hac in morbi periodo jam et vox mutari incipit, et quamvis prima hujus mutationis vestigia in nonnullis jam inter prodromos occurrant, nunc demum sonus ejus raucus, gallorum more cucuriens et latrans ac respiratio impedita, in somno inprimis

strepens, manifestantur. Huic metamorphosi quae causa subest morbosus habitus retis Malpighii, cavioris ac faucium, inprimis vero laryngis, quia hae partes inflammatione quadam chronica, per annos saepe permanente, modo imminuta modo aucta et paululum tantum dolente, corripuntur. Quodsi per longius temporis spatium rubor quidam pallidus vel cupreus vel sub-coeruleos magis, oris partes, praesertim palatum molle obtexerat, jam lingua hic illic exoriari incipit, aphthas adoptat sub-cinereas vel laete flavas, aut excrescentias verrucosas, rhagadibus disruptas, indurescit quoque praecipue quidem versus radicem et linguae scirrhosae valde fit similis, simul gustus penitus evanescit. Palatum durum rugosum ac nodosum redditur, granis milii similes accipit puris nodulos, dentes mucos bruneo obteguntur, tonsillae paulum intumescunt et locis nonnullis superficialiter arroduntur, uvula laxa propendet, posticus pharyngis paries hic illic inflammatus fit ac saucius, ipsa adeo epiglottis et glottis probabiliter in statum quendam sunt translatae, quem in phthisi laryngea deprehendere solemus. Quantum nasi interior pars inspicitur, et hic tumores, erosiones et crustae inveniuntur.

Animi affectio hoc in stadio valde est moesta. Aegroti quieti sunt, quae mente agitant occultantes, suspiciosi, libenter deformatam faciem abscondunt,

pigri porro sunt ac turgidi, multum denique dormiunt, saepe autem subito et cum terrore expergiscuntur. Ciborum appetitus patientium normalis est, saepe nimis avidus, urinae excretio naturae est consentanea, alvi dejectiones rariores et durae. Quo ad odorem hircinum, a multis autoribus animadversum, fatendum mihi est, me in aegrotorum vicinia semper quidem foedum observasse odorem, subtilius autem hoc discrimen haud animadvertisse. In femina menstruatio vel cum incipiente vel cum apparente jam tuberculorum formatione cessat; quod vero ubique de forti horum leprosorum in concubitus impetu profertur, in aegrotis nostris haud observavi, attamen in puella quadam prompta mammarum nudatio earumque audax oblatio hunc instinctum aliquatenus innuere videtur. In morbo Chersoneso Tauricae propria Martius*) potius instinctum coeundi imminutum animadverterat et Alibertus**) ait „On a beaucoup parlé du penchant „ver le coït, qui tourmente ordinairement les lépreux; cependant, j'ai observé un phénomène absolument contraire chez un homme atteint de la „Lèpre tuberculeuse.“

*) Heinrich von Martius Abhandlung über die krimmische Krankheit und deren ärztliche Behandlung, Freiberg 1819 p. 67.

**) Alibert T. II. l. c. p. 53.

III. Stadium formationis ulcerum.

Uti amba stadia prius memorata nequaquam terminis arcte circumscripta, sed potius lente in se invicem transeuntia animo sunt informanda, sic et haec periodus idem postulat, quae, tuberculorum formatione nondum absoluta, initium capit. Et hic plures anni possunt elabi, antequam morbus ad hunc ascendat horrendum intensitatis gradum, et jam alii cuidam leprae formae, elephantiasi videlicet Leoninae similis fiat, a qua tamen decursu suo multum lentiori, minori vehementia symptomatum ei propriorum, anaesthesia ac formatione ulcerum, serius demum consequente, distinguitur, quod et Henslerus (l. c. p. 161 et 162) monet.

Os et cavum faucium ea sunt organa, in quibus prima prodeunt ulcera, dum sive e maculis aut levibus harum partium excoriationibus evolvuntur, sive aphthae, noduli et verrucae vel pustulae et rhagades hoc exitu insigniuntur. Gingiva intumescit, corroditur et dentes vacillare incipiunt; pustulae in palato duro rumpuntur et in ulcera mutantur, quae praecipue pone extremum dentem molarem conspicua fiunt, verum etiam tonsillas arrodunt, uvulam cum parte veli palatini destruunt, imo ipsam linguae superficiem corripiunt. Paries pharyngis posticus ulceribus obtegitur, larynx sem-

per magis magisque conficitur; hinc etiam loquela vix intelligibilis et foetor ex ore haud tolerabilis redditur. Respiratio valde est impedita et, secundum Sprengelium*), aegrotus continua laborat peccatoris angustia. Ulcera in cavo nasi invalescunt et hic sedem suam ipsa cartilaginum et ossium dissolutione indicant. (Vid. Hensler l. c. p. 155).

Nunc et noduli externi erumpere incipiunt; ab initio quidem crusta quadam crassa, coloris cinerei, obteguntur, quod et Schillingius**) affert, et in nostris aegrotis, quantum hucusque observari potuit, primus mali gradus erat, attamen hae crustae serius decidunt et, auctore Aliberto (l. c. p. 52), ulcera sordido-rubra cum marginibus elatis, duris, corrosis, subcoeruleis relinquunt, quae ichorem, aquae carne imbutae aequiparandum, exhibent. Hac ratione plures semper noduli, inprimis vero in articularum vicinia obvii, in affectionis societatem trahuntur, qua re articularum ligamenta corroduntur et sine minimo quidem dolore singula membra, ipsae adeo aures et nasi ossa, recedunt, ut Martius, (l. c. pag. 154) memorat. Sed non solum ulceribus destruentibus membra dissolvuntur, sed, secundum Henslerum, (l. c. p. 154) et exsiccatione quadam articularum, (atque hunc casum praecipue

*) Sprengel l. c. p. 572.

**) Schillingius l. c. p. 15.

ad elephantiasin nostram nodosam referendum e se
ajunt), quo facto pariter sine sensu quodam partes
decidunt vel tolli possunt. In universum anaesthae-
sia hoc in stadio ita increscit, ut, secundum infi-
nitum fere observationum institutarum numerum,
sectiones adeo per loca correpta ad ossa usque per-
tingentes prorsus non percipiantur. Interea capilli
omnes defluxere, quod tamen in morbo Chersoneso
Taurico rarius accidere perhibetur. (Martius l. c. p.
66). Auditus in pejus mutatus est, oculus functioni
suae par esse desiit, pulsus fit parvus admodum
et vix perceptibilis et de sanguine, e vena emissa
Schillingius (l. c. p. 16) affirmat, eundem multos
globulos candidos, milii granis similes ostendere,
communiter male olere et serum sanguinis semicocto
carnis jusculo simile inveniri. Denique his affec-
tionibus febris hectica accedit („Febricula oritur,
quae facile tot malis obrutum hominem consumit,“
Celsi*) sunt verba), intestinorum evacuationes col-
liquativae apparent et increbrescunt aut catharrhus
suffocativus, his aegrotis exoptandus (conf. Martium
l. c. p. 65) cito mortem adducit.

*) A. C. Celsus Lib. III. Cap. XXV. p. 177.